

solum celeriter arriperet, quæ traderentur, sed etiam excellenter pronunciaret: qua ex re in pueritia nobilis inter æquales ferebatur, clariusque explendescebat, quam generosi condiscipuli animo æquo ferre possent, itaque incitabat omnes studio suo. Nam non socors torpedo, non puerilis vanitas, non voluptatum mollities cum è virtutis tramite detorsere; sed alacritate prorsus laudabili sapientiæ præcepta tenero adhuc pectori impressit, ejusq; indesinenti meditatione animum ad sublimiora jugiter præparavit. Quod eo majori dignum est admiratione, quo illustrior quæque fortuna in illa ætate ad lubrica aulæ blandimenta facilius devolvitur. Excellens fuit vir Themistocles, sed turpis adolescens: Valerius Flaccus rebus gestis celebris habetur, sed pariter notatus dicâ turpiter actæ ineuntis ætatis; At B. hic Heros pariter cum annis

D

cla-

clarissimarum virtutum numerum gradum,  
que promovit. Sub hoc annorum curri-  
culo dignas judicavit, quas salutaret, Musas  
Upsalenses. Quarum per insigne tempus  
illustris alumnus, tandem factus est præsul  
& Antistes, dum oblatos sibi Fasces Acad-  
emicos omniū applausu suscepit, & non per  
dimidium, ut ibi mō est, sed integrum an-  
num felicissime direxit: auspicato haud  
dubie & augusto omine, qualia fuere mune-  
rum prima, talia etiam fore ultima, Literas  
scilicet Literatosque juvantia, defendantia,  
promoventia. Qvanta autem animi con-  
tentione toto eo tempore, quo in Musarum  
hoc domicilio moratus est, elegantissima  
sua antea incepta studia sub moderamine  
celeberrimi D<sup>n</sup>. SCHEFFERI persecutus est,  
ut difficile est dictu, sic non facile creditu.  
Plures illustri loco natos operam literis  
dedisse non negaverim, sed majorem de-  
disse, hoc est quod affirmare non sustineam.

Quo-

Quotus enim, non dicam B. Herois æquarium, quisque, sed eorum qui studiosi vocantur, plures, quam ille, egregios autores in Historicis, Politicis, Jure naturæ & gentium, Communi & civili, diligent ad, curataque lectione pervolvit & penetravit? Hisce è fontibus acutissimum ejus hausit & digessit ingenium tersam illam solidæ que doctrinæ plenam Orationem, qvâ, deponendo insimul Rectoratus munere, Patribus Civibusqve Academicis haud immotis auscultantium animis gratiofissimum dixit vale: tacitum hoc suo instituto plurimis faciens convicium, quorum tam pauci instrumenta magnæ fortunæ Literas & Eruditionem capiunt. Verum enim, vero in hoc adolescentiæ & juventutis cursu non ita Themidos sacraria adiit, non ita se Apollini devovit, ut Martem ejusque exercitia negligeret. Scilicet vitam excellentissimorum Majorum sibi ante  
ocu,

oculos ponens, qvin & quam raro admo-  
dum diutinam pacem ob infestas vicino-  
rum machinationes usurpavit Patria no-  
stra, perpendens, pulcritudine militaris  
etiam gloriæ inflammatus, in campo Mar-  
tio velut inclyta sua indole digno theatro  
haud raro sese stitit. In qvo ea curâ eaque  
versabatur felicitate, ut in omnis generis  
exercitiis eqvestribus multis superior,  
nemini esset secundus. Non latet quan-  
tam Martem inter & Apollinem conci-  
piant tempora nostra discordiam, quasi  
unus cum altero in pectore mortalium  
neutiquam excubare posset; Ast unus est  
B. Heros qui duo hæc sacra felicissimo  
conjunxit vinculo, ferocemqve Bello-  
nam cum innocentे Pallade placide co-  
habitare abunde monstravit. In utroque  
nempe adeo excelluit, ut fortior ne miles  
an gnarus magis optimarum artium cul-  
tor, acutiorne Philosophus, an clarior  
fu-

fuerit Dux, judicatu fuerit difficilimum.  
Saltem ad utrumque paratus, Artem dico  
& Martem, Lares patrios reliquit, di-  
gnoque se comitatu exteros & apud illos  
summas in Europa Aulas, Respublicas  
florentissimas Statusque liberos salutavit:  
haud obscure innuens se ad majora natum,  
quam quæ unius regni limitibus circum-  
scribi possent, famamque gestorum non  
tantum Patriam impleturam, sed per or-  
bem etiam olim oberraturam. Quod &  
brevi factum est, cum ad easdem Aulas  
publico nomine rediit, quas antea privatus  
inviserat. Atqui in hoc itineris & pere-  
grinationis circo primum eumque uberri-  
mum percepit B. Heros fructum, quem  
indefessus Sapientiæ cultus, indeque orta  
solidæ Virtutis & Eruditionis claritudo illi  
adportabat: Insignem dico, quo ubique  
locorum afficiebatur, favorem honoremq;. Scilicet adeo per illam omnium, quos

E

adi-

adire & colloqui contigit, animos inex-  
plicabili quodam modo occupabat, (ad-  
juvante etiam eximio, quo gaudebat, oris  
decore) ut non tantum Legati & Cardi-  
nales, sed etiam Duces Principesque imò  
Coronata etiam Capita in familiaria & cle-  
mentia colloquia venientem admittere,  
abeuntemque non semel cum sublimium  
ingenii donorum laude & commemora-  
tione palam nominare dignum judicave-  
rint. Tot itaque tantisque animi dotibus  
& divitiis e` ditissima Sapientiae minera e,  
rutiis instructus: tot tantisque earum causâ  
maestatus honoribus, absque vel minimo  
augustae fortunae detimento hic subsistere,  
iisque ad publicae Rei commodum frui  
potuisset B. Heros: Idque eò majori jure,  
quò magis omnes in hocce æquavit, plu-  
rimos dudum superavit; Ast, quod mi-  
reris, nec hic pedem figit, sed ad exem-  
plum maximi Imperatoris plus ultra eun-  
dum

dum existimavit. Quapropter non summas magis Aulas, quam summos doctrinæque famâ illustrissimos frequentavit Viros. Quorum è numero fuere præcipue magna nomina Heinsiorum, Vossiorum, Gronoviorum, Græviorum, Bœclerorum, Septaliorum. Hos audiendo, interrogando, consulendo, amplissimum alia's Sapientiæ suæ penu ita locupletavit, ut paria cum iis fecerit. Hæc fuere otia, hæc B. Herois in itinere negotia. Utinam! qui peregrinationes hodie instituunt, B. Heroa sibi ante oculos ponerent ejusque vestigia premerent: ingentem in Eo haberent Phosphorum, qui illos in salebrosis apud exterios viis ad verum honoris portum duceret: neque tot tantique in hos vel illos vitiorum scopulos impingerent graveque facerent naufragium. Felici sic sydere in Patriam redux B. Heros, non prius manum Regis sui est osculatus, quam

ab

ab illo , virtutum æstimatore adcuratis-  
simo, supremus Cubiculi Regii Præfetus,  
non sine egregiis elogiis est constitutus.  
Debetur scilicet quidam generosis men-  
tibus honor, quo tanquam fomento exi-  
mia sua facta nutriant virtutique ad cel-  
siora iter præstruant. Mirum verò quan-  
tum in munere hoc aulico omnes cogi-  
tationes ad publicum emolumentum com-  
posuit ! quantum fide & dexteritate sua  
Regis in se favorem adauxit ! quantum de-  
nique omnium amorem conciliavit ocu-  
losque in se convertit ! Namque habent  
hoc primum excelsæ quæque animæ, ut  
dotes earum & ex illis amor occulto quodam  
modo in hominum opinionem illaban-  
tur, & ex ipsis factis elucescit, prout cedunt  
prima ita fore universa. Qvocirca opus  
non erat ut hoc modo probatus hono-  
res altiores ambiret veleffictim affectaret,  
cum satis ex merito paterent & ex beni-  
gni

gnitate Regis gloriose offerrentur. Flagraba-  
bat quam maximè tunc temporis, qvod  
haud multò ante excitatum erat, bellum,  
Gallos inter & Anglos confæderatosque  
Belgas. Pro quo eò citius finiendo Regi  
nostro Potentissimo Mediatoris partes in  
se suscipere, litigantibusque sua auctoritate  
intervenire placuit, modum proponendo  
quo accensi animi sufflaminari, tantæque  
in Christianismo miseriæ finis imponi  
posset. In glorioso itaque hoc opere  
Gloriosissimus constitutus Rex, vix alium  
idoneum magis præsto esse videbat, cui  
tanti momenti rem persequendam tutò  
committeret, quām B. Herōa nostrum.  
Hunc itaque illi præfecit, Hunc ad Reges  
primo Angliæ, mox Galliæ ire, adjun-  
ctisque sibi illic locorum tum temporis  
existentibus Regiis Ministris, hic Legato  
Extraordinario Illustrissimo Comite,  
Domino Königz Warf / ibi vero ordi-  
nari.

F

nario Nobilissimo Domino Leyonberg/ a-  
nimum Regis sui patefacere iuslit. Speci-  
osum hic erat virum juvenem intueri  
proceritate corporis, vultu heroico, ple-  
num fiduciâ coram tantis Regibus opus  
suum incomparabili verborum gestuumq;  
gravitate proponentem ; At Speciosius  
multo & pulcrius fuit animadvertere, qvâ  
prudentiâ & sagacitate dissidentium secreta  
rimari, arcana expiscari capitaque diversa  
ad unum quid sentiendum componere  
studuit allaboravitque. Qvo vero suc-  
cessu, quo maximi Regis sui adplausu ar-  
duum hocce peregit negotium B. Heros,  
vel exinde judicari poterit, quod, de statu  
rerum Gallicarum Anglicarumq;, nec non  
de utriusque Regis ad pacem propensi-  
one sic informatus, literas acceperit Regias  
de accelerando Parisiis Ratisbonam iti-  
nere, idem opus & ibi ad tenorem datæ  
sibi instructionis persecuturus. Præclaram  
hanc

hanc B. Herois Legationem inter alia ma-  
xime nobilitavit, quod Ratisbonæ adhuc  
existens à S. R. Maj: magno verborum ho-  
nore insigne meritorum commemora-  
tione Tribunus Equitum Legionis Præto-  
rianæ constituebatur. Hoc ipsum, una  
cum reliquis præclaris ejus muneribus, ab-  
sentiæ B. Herois minus patiens, fecit ut  
domum accerseretur. Iter vero hocce pa-  
ranti literæ advenere Regiæ Neuburgum  
se conferret B. Heros, cum Serenissimo ibi  
Duce super quædam maximi ponderis ne-  
gotia, calamo haud temeré credenda de-  
liberaturus. Quo etiam pari ac antea fide &  
prudentia facto, in Sueciam tandem venit.  
Vix crederes quantum gestis illius gesto-  
rumq; relationibus adplaudebat Rex, cuius  
clementem de se conceptam spem non tan-  
tum egregie sustinuit, sed & feliciter vicit.  
Hoc eodem anno foedus conjugii antea  
pactum perfecit B. Heros cum eminentis-  
simæ

simæ familiæ Comitissæ ELISABETHA  
Grenstierna/ Illustrissimi Comitis ac Domini  
**E R I C I** Grenstierna / Regii quondam  
Consiliarii & Cancellarii magni Filia ju-  
cundissima. Quæ sic omnium splendore  
virtutum, sic pulcritudine & prosapia ra-  
diabat, ut cor B. Herois ad amorem in-  
flammaverit, summosque pariter ac insi-  
mos veneratione & admiratione adimple-  
verit. Ita placide conspirarunt, ita per o-  
mne conjugii tempus convixerunt, ut ille  
affectu, illa obsequio pulcrum de gloria  
certamen quotidie miscerent: Nec apex  
felicitati conjugali accedere potuisset, si  
torus optata sobole illustrior, domusque  
excelsa fortior facta fuisset. Illustrissimæ  
autem Comiti, cum nimis citò tristia vi-  
duarum proh dolor! sint superfusa, velit  
æternum Numen, ut luctui ejus oppor-  
tuna succurrat medela! utque constans a-  
liquando lætitia renascatur & late diuque  
efflo-

efflorescat! Solennia vero nuptiarum in  
arce Calmariensi celebrata celebriora red-  
dedit & illustriora non tantum præsentia  
Regis totiusque Regiæ aulæ, sed & honor  
ille plane insignis, quo B. Heros eodem  
ipso die est affectus. Scilicet Senator &  
Consiliarius Regis proclamatur. Non hic  
generis celsitudo, non avorum merita ful-  
gentissimas dignitates obumbrarunt: Non  
ulla prensatio, non ullus ambitus claritu-  
dinem B. Herois, jam dudum generosis  
actionibus debitam, foedavit; Sed poten-  
tissimus Rex virtutum & meritorum æ-  
stimator sagacissimus gradus officiorum  
passibus virtutis aptavit. Tum vero un-  
dique æstimatio ejus & veneratio oborta:  
Videres Proceres ipsos, ordinemque E-  
questrem universum vera gratulatione læ-  
titiam testari; Cæteros autem, natalium  
ac fortunæ conditione humilius colloca-  
tos, nunc admiratione, nunc cultu vehe-

G men: